



357

Mens fuit bellare Rhodum, superare superbam  
Italiam, sed non fata dedere modum.

Heu mihi! nam rupit mors aspera, quamquam  
Pectore condideram, vertit et hora brevis.

Mortuo autem illo magno Turco rex Siciliae rehabuit Hydruntum a filio ejus: dereliquit enim duos filios, quorum (h) unus alterum de regno expulit, qui ad Rhodum transfugit; hunc magnus militum magister regi Franciae pro munere destinavit, Turci vero hoc scientes regi Hungariae magna munera et aliquas terras promiserunt, si a rege Franciae Turcum illum habere possent, propter quod rex Hungarorum hoc anno 1488 misit solemnem legationem ad regem Franciae cum pretiosis et multis muneribus petens Turcum, sed non accepit, unde valde offensus rex Hungariae. Multi credunt inde bella mala futura. Si Christiani principes jam essent uniti, sine magno labore Turcos premerent et debellarent, quia caput et fortunam perdiderunt.

Huic Apuliae conjuncta Campania, provincia nobilis, in qua civitates grandes sunt, ut Capua, Neapolis et Puteolis, ubi balnea Virgilii in honore habentur, et dicebatur olim terra laboris, quia est fertilis undique, ferax, et hujusmodi terrae sunt laboriosae. Calabria regio his est annexa, quae alias dicebatur Locrensis. Praedicta autem obsidio Hydruntinae statim facta fuit, postquam Turci solverunt obsidionem Rhodianam.

Igitur praedictas regiones dimittentes ad sinistram in dexteram navigia divertimus contra Dalmatiam et in mare ruposum venimus, et celeri cursu per medium montium Dalmatiae regionem ingressi sumus, insulam Coreyram ingressi, quae modo dicitur Corsula, in portum Cursulinum, et ibi naves stabilivimus, et civitatem Cursulam ingressi sumus, non omnes, sed qui volebant, quia ad statim recessuri eramus.

Dalmatia regio secundum antiquam terrae partitionem est pars et provincia Graeciae, habet enim ab oriente Macedoniam, et ad hanc computabatur, nunc autem computatur ad Slavoniam, cui adjacet ad orientem. Sclavia sive Slavonia est provincia grandis, continens regiones et regna multa, continet enim Moesiam, Ungariam, Boëmiam, Poloniam, Ruthenam et Dalmatiam, et plures particulares regiones alias sub illis, quae omnes sunt quasi ejusdem linguae et se intelligunt.

Hungaria provincia, quae alias Pannonia dicitur, nomen accepit

368

366

372

362

377

357

417

317

467

267

Ende

Anfang